

haeat cognitionem, ac scientiam Dei practice, scilicet, vt eius maiestatem reueretur, colat, ac adoret, vt par est; sed vnde deducitur, quod tanta Dei scientia, ac notitia desit in terra? pramiserat Propheta, non est veritas, & inde valde consequens erat, vt Dei afflatus, ac scientia in terris deesset; quando erat veritas, erat & Deus: at cum veritas abfuit, nihil Dei mansisse videtur, neque misericordia, neque scientia, Theophylact. *Qui mendaces diuitias amat, & vanas opes, & fraudulentam gloriam, veritatem non habet: vnde neque misericordiam a Deo suscipit, neque agnoscit ipsum in die reuelationis.*

Dicebat sancta Anima: *In lectulo meo per noctes quesui, quem diligit anima mea, quesui illum, & non inueni: surgam, & circuibo civitatem, per vios, & plateas queram quem diligit anima mea, quesui illum, & non inueni, inuenerunt me vigilantes, qui custodiant civitatem.* Cant. 3. num. 1. Valde sollicita anima sancta suum dilectum inuestigabat, & tamen ipsum non inuenit, sed potius custodes inuenit; cur tam pius, ac feruidus Sponsa affectus inuenit; sed prius incidit in custodes? Custodes isti vel erant Angeli, vt astruit Theodoretus, Nyssenus homil. 6. S. Ambrosius lib. de Isaac cap. 5. Pfellus, & alij. Vel erant Apostoli, Praelati, & Doctores Ecclesiastici, vt asserunt D. Gregorius, Theodor. Cassiodor. Beda, Philo, S. Anselmus. Ante Sponsam ad hos devenit anima sancta, vt ab illis in veritate edoceret, & instructa, ipsius veritas affectu aptaretur ad inueniendam sponsam, via enim ad ipsum veritatis est. D. Bernard. ferm. 77. *Et misit in occursum eius, ait, qui eam enutriverit, & confortarent in omni certitudine veritatis, hoc est indicarent illi, certam redderent de dilecto: quia veritas est, quam querit, & quam vere diligit anima eius. Et reuera quis fidus, versus anima amor, nisi vitiosus, quo veritas adamatur? Non sum securus a securi, si absque eo inuenior.*

QUESTIO VII.

Quare Ministri de Christo cogitant, quod iturus sit ad dispersionem gentium, Pharisei vero, quod se ipsum interficiet?

Tr. Christus in presenti Phariseis: *Quo ego vado vos non potestis venire, Et cum eadem fere verba dixisset ministris Phariseorum: inter se sic ipsi loquebantur. Quo hic iturus est, quia non inueniemus eum, nunquid in dispersionem gentium iturus est, & docturus gentes.* Ioan. 7. num. 35. At Pharisei de Christo mortem cogitant, & quod se ipsum interficiet. Eorum stultitiam arguit D. Augustin. tract. 38. in Ioan. Nam etiam Iudaei poterant seipsum interficere, sibi que vltro mortem inferre, & hac via venissent quidem quod Christus abiisse autumabant. Ad nostram quaestionem

Respondet primò D. Cyrillus lib. 5. in Ioan. cap. 23. *Nunquid, ait, se ipsum est interfecurus; sed vnde hac tanta exortitur intelligendi absurditas? profecto ex sola animi eorum nequitia.* Ministri vt pote de turba erant homines simplices, ac Christi odio carebant, cum audiunt: *Vbi ego sum, vos non*

potestis venire, In bonam partem rem interpretantur, quod iturus sit, & docturus gentes. Pharisei tamen vt pote nequissimi, fere isdem verbis auditis rem in malam partem detorquebant, & tantum nefas contra omne naturae ius de Christo cogitant; quod sibi mortem inferat. Animus peruersus omnia in malum refert; quilibet ex suo animo de aliis praesumit, ac ratiocinatur; vide in indice verbo *Indicare*, vel *Praesumere*.

Secundò D. Antonius Vlyssiponenfis ferm. in feria 2. post Dominicam 2. *Quadrages. Ex abundantia cordis, ait, os loquitur, quia igitur sanguinem eius, & mortem omnino cordibus suis habebant impressam; ideo quasi nihil aliud loqui, aut pertrahere poterant de eo.* Rectè dicitur quod lingua sit animi index, & id quod quilibet habet animo, eruclat ore, cum ergo Pharisei mortem Christi haberent infixam in animo, inde omnem Christi sententiam de morte interpretantur. Tertio semper iniqui in deterius ruunt, ac praecipitantur. Iudaei primò tanquam fugilando Christum dicunt, quod in dispersionem gentium iturus est; nunc verò de eò asseuerant, quod seipsu interficiet.

Quartò Communis interpretatio est, quod ita Pharisei odio, ac inuidia fremebant in Christum, vt sibi persuaderent, quod nullo loco, nullibique terrarum gentium eum eorum manus posse euadere, nisi ipse semet interficeret, tam stulta praesumptione se iniquitas contra Deum opponit. De Gigante illo Nemrod ait facer Textus: *Erat robustus venator coram Domino.* Genes. 10. num. 9. Septuaginta legunt: *Contra Dominum, Quomodo humilis creatura contra Dominum se se erigebat; sic enim sua fortitudine, ac potentia fatuus Gigas erat inflatus, vt vires suas contra Deum ostentare praesumeret.* D. Augustin. lib. 16. de ciuit. Dei cap. 4. *Erigebat cum suis populis turrin contra Dominum, quae est inopia significata superbia.*

Post commissum Adae peccatum denuncians Deus illi sententiam mortis ait: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec reuerteris in terram, de qua sumptus es, quia pulvis es, & in puluerem reuerteris.* Statim, & immediatè subiungit facer Textus. *Et vocauit Adam nomen vxoris suae Eua, eò quod mater esset cunctorum viuentium, Genes. 3. n. 20.* Genes. 3.

Maximè sanè admiranda est hac verborum series, & dispositio, cum Adam audit in se sententiam mortis prolatam, statim vxorem suam appellat Eua, id est vitam, matrem nempe omnium viuentium, cum potius tunc matrem mortuorum dicendam videretur. In hac maxima hominis superbia declaratùr, qui cum audisset ex ore Dei sententiam mortis in se, ac in omnes prolatam, non acquiescit, sed vxorem suam vitam, ac viuentium matrem dicit, quasi quod ipse inuenerit Dei decretum mutare, eique resisteret. Rupertus lib. 3. cap. 26. *Mira peccatoris, ait, surditas, & superba mentis eius duritia breuiter de prompta est, quid enim infamius, quam in tali articulo Eua dicere Eua, qua non habebat vitam? Eua namque transfertur in vitam, dixerat enim Deus in quocunque die comederis ex eo, morte morieris, & illa comederat, & viro suo dederat, & dando occiderat, & nunc in presentiarum dicebat, quia pulvis es, & in puluerem reuerteris, & sic uterque morte corporis scilicet, & anima iam mortuus, & adhuc moriturus erat; quid ergo infamius, quam in illo tali causa iudicio, illam nuncupare Eua, id est vitam, que vitam non habebat.*

Malus omnia in malum interpretatur, & de se praesumit de alijs

56. Anton. Vlyss.

Lingua animi index.

Iniqui omnia in deterius interpretantur

57. *Superbus contra Deum praesumit se posse stare.*

Genes. 10.

August.

58.

Genes. 3.

Homini superbia Dei sententia inuentat obistere.

Rupertus.

Vider

59.

Videt Nabuchodonosor in somnis statuam, cuius caput ex auro componebatur, pectus ex argento, femora ex aere, tibiae ex ferro, & tandem pedes testacei extabant, quos vbi lapis leui ictu percussit, totam machinam in fauillam redegit; *Abcissus est lapis de monte sine manibus, & percussit statuam in pedibus eius ferreis, & scilicet, & comminuit eos. Tunc contrita sunt pariter ferrum, testis, as, argentum, & aurum, & redacta, quasi in fauillam aëstiuæ aræ.* Daniel. 2. num. 34. Tunc Nabuchodonosor euigilans, quandam statuam totam fabricauit auream: *fecit statuam auream.* Haec statua conluitur ad similitudinem illius apparentis in somnis, huius pedes erant fictiles: Cur ergo hac statua tota ex auro fabricatur? Viderat Barbarus rex, quod lapis abscissus sine manibus, hoc est, Dei prouidentia, ac potentia ductus, totam illam molem contriuit, ac in fauillam redegit, imperat ergo in sua noua statua, vt pedes toti ex auro solidentur, vt si alius lapis sine manibus, id est, & Dei prouidentia, ac potentia impulsus in ipsos pedes impingatur; illi robusti, ac inconditi persistant, ac resistent ei, & tanquam firmi, ac stabiles contra Dei propositum perdurent. Theodoretus ad illa verba: *Fecit statuam auream.* Sic loquitur: *Deus in somnis maximam illi ostendit imaginem è quadrupli materia confectam, ipse proprium fastum, quasi castra Deo opponens, statuam construit, non ipsam ex auro, argento, ere, ferro adificat, sed ex una auri materia conficiendam curat: raui infelix iste falsas ostensurum se Dei prediçiones.*

Ioan. 8. num. 3. Et dicebat eis: Vos de deorsum estis, ego de supernis sum. Vos de mundo hoc estis, ego non sum de hoc mundo.

Num. 4. 2. Dixi ego vobis, quia moriemini in peccatis vestris: si enim non credideritis, quia ego sum, moriemini in peccato vestro.

VERSIONES.

Vatabl. Euthy. Vos ex infernis estis, ego è mius num. 23. supernis sum.

Caietanus. Vos ex iis, quae deorsum estis.

Theophylact. Vos ab infernis estis. Syriacus n. 24. Nisi enim credideritis mecum esse, moriemini in peccatis vestris.

EXPOSITIO VI.

60.

Et dicebat eis. Connexio verborum sumitur ex sinistra Iudaorum interpretatione, qua verba Christi, quo vado vos non potestis venire, intellexerunt de interfectione, cum ipse de eius ascensu in caelum loqueretur, de quo quaestione sequenti, & non dicitur, quod respondebat, sed quod dicebat, tam deprauatae suspitioni de eius interfectione, indignum iudi-

Deprauatae suspitioni non respondendum.

cat responsum, sed continuando sermonem dat rationem, de eorum mala cogitatione. Exponit discrimen inter se, & illos. *Vos deorsum estis*: id est ex inferioribus locis, ac ex terra, & ideo affectu omnes cogitationes vestras, ad terrena dirigitis. *Ego de supernis sum.* Id est ex superioribus locis, scilicet ex caelo sum, & ideo quae sursum sunt sapio, & solum caelestia intendo, vos autem tantum de terrenis cogitatis. *Vos de mundo hoc estis.* Explicat Dominus id quod superius dixerat. *Vos deorsum estis.* Superbis eorum abiectio multis modis proponenda, & adhuc eam petcipere nolunt. *Vos de mundo hoc estis*: id est vos ad mundana tantum estis intenti, solumque mundana quaeritis, illis spiritis, quae Dei sunt; notat Albertus Magnus quod non dixit simpliciter, vos de mundo estis, sed addidit de hoc mundo, signanter addidit de hoc mundo in malitia fundato. *Ego non sum de hoc mundo.* Theophylact. Euthym. *Ego non sicut vos sapio, vt me ipsum interficiam.*

Dixi ergo vobis. Illud, ergo, illatio est ex proximè dictis, dixerat enim, quod ipsi erant de deorsum, ac de hoc mundo, ac proinde tanquam mundanis eis pronuntiat eorum damnationem. Euthymius. *Adhuc eos exteret volens persuadere.* Sequitur textus: *Moriemini in peccatis vestris.* Scilicet infidelitatis, odij, inuidiae, simulque doct, quod solum per fidem in ipsum sit remissio peccatorum. Nota ordinem textus; ait Christus. *Ego non sum de hoc mundo, dixi vobis, quia moriemini in peccatis vestris,* quando hic eis promulgat mortem in peccatis suis, prius de se testatur: *Ego non sum de hoc mundo,* vt hoc documento nos doceat, quod solum ille, qui hominem exiit, scit veritatem manifestare, eamque in facie principibus annuntiare, de quo infra.

Nisi credideritis quod ego sum: scilicet verus mundi Saluator, ac Messias promissus, vt per tot signa, miracula, ac scripturas ostendo, ac demostro. Ita Theophylact. Carthusian. Lyran. Ianfen. Maldonatus, aliter Rupertus. *Quod ego sum,* scilicet de supernis, ex quibus descendit in hominum salutem. Altius interpretatur D. Augustin. tract. 38. Beda, Albertus Magnus, Caietan. Toletus. *Quia ego sum,* intellige, qui sum, id est sum Deus, hoc enim nomen proprium est Dei. Exod. 3. num. 14. Non dixit Christus, vt notat D. Augustin. Ego sum Dei filius, Verbum Patris, sed absolutè. *Ego sum.* Intellige, qui sum, quod nomen proprium est Patris, per quod significat Christus se esse omnino æqualem cum Patre; & quia hoc nomen maximè explicat ipsum esse diuinitatis. *Moriemini in peccato vestro.* Multoties hanc poenam repetit, vt eos perterreat; superius in plurali dicit peccata, nunc verò in singulari, in Græco in vtroque loco semper est in plurali, vt legunt D. Chryostomus, Euthymius, & ex Latinis D. Augustin. Cyprian. lib. 1. contra Iud. cap. 5. retenta nostra vulgata, in peccato vestro, id est infidelitatis, nam vt ait D. Antonius Vlyssiponenfis feria 2. post Dominic. 1. ad hoc peccatum omnia alia consequuntur. Cum autem ait. *Nisi credideritis moriemini in peccato vestro.* Ostendit, ait Hugo; quod si vellent credere, saluarentur.

Alb. Maga.

Theophyl. Euthym.

61.

Euthym.

Veritas solum dicitur ab his, qui non sunt de hoc mundo.

62.

Theophyl. Carthui. Lyran. Ianfen. Maldonatus. August. Beda. Alb. Maga. Caietan. Tolet. Exod. 3.

Chrysoft. Cyprian. Anton. August. Cyprian.

Hugo.

QUESTIO VIII.

Quare Christus dixit Iudaeos esse de deorsum, ac de hoc mundo, se vero de supernis, & non de hoc mundo?

63. Ratio diff. cultum.

ANTECEDENTER dixerat Dominus, Quod ego vado, vos non potestis venire. Unde Iudaei sinistrae suspicati sunt. Numquid interficiet seipsum: tunc dicebat illis IESVS, vos deorsum estis, ego de supernis sum. Vos de hoc mundo estis, ego non sum de hoc mundo. Dubitatur an haec verba referantur ad suspicionem Iudaeorum, interficiet seipsum, an ad Christi sententiam, quo ego vado? &c.

64. Chrystos. Ammon. Appollin. Leoncius. Theophyl. Euthym. Augustin. Beda. D Thom. Bonau.

Primò. D. Chrysofom. Ammonius, Appollinaris, Leontius, Theophylactus, Euthymius, D. Augustinus, Beda, D. Thomas, D. Bonavent. existimant, quod in praesenti Christus assignat rationem, ob quam Pharisei eius verba, quod ego vado vos nos potestis venire, quae ipse de suo in caelos reditu dixerat, illi praue de sui ipsius interfectione interpretati sunt, quia cum essent mundani, ac terreni, quae de caelo erant, non capiebant, sed tantum ad terrena detorquebant, semper enim quilibet secundum suum animum de aliis cogitat, & pensat.

65. Rupertus. Alb. Magn. Hugo. Barrad.

Secundò. Rupertus, Albertus Magnus, Hugo, Barradas, censent; quod in praesenti Dominus apponat causam, cur quod ipse vadit, Pharisei non possint venire; nam cum vos sitis de terra, ac mundo mundanam vitam agitatis, in vestris peccatis, ac vitijs detenti, in deorsum, ac profundum demergimini, ego verò cum de caelo descenderim caelestia sapio, caelestem vitam ago, ego ut sublimis aquila in altissimis aeternitatis montibus habito, & ideo post mortem meam in caelum redibo, vos verò tanquam vermes reptatis in terra, & inde non potestis ad me euolare. D. Augustin. & ex eo Rupertus, ac Hugo. Vos deorsum estis: ideo terram sapitis, quia sicut serpentes terram manducatis, id est terrenis pasimini, terrenis delectamini, sursum corda non habetis. A terrenis separandum, ut sursum eleuemur. Sicut ablactatus super matre sua, ita retributio in anima mea. Psa. 130. num. 2. Chaldaeus vertit. Sicut ablactatus super mammam matris suae, sic roboratus sum in lege. Robur virtutis spectat ad ablactatos, sicut infirmitas ad illos, qui aulli nequeunt.

August. Rupert. Hugo.

Psal. 130. Chald. Se paratus a mundo habet robur virtutis.

66.

Tertiò. Vos deorsum estis, ac de hoc mundo, ex terreno, ac peccatore Adamo in hoc mundo nati, mundanalibusque moribus, ac vitijs educati, & ideo non caelestia, sed caduca curatis, ac diligitis; Ego verò de supernis sum, & non de hoc mundo, nam & si in hoc mundo secundum naturam humanam natus sum, tamen qua Deus ex Patre, Deo natus sum, qua homo verò, non ex terreno parente, sed ex Spiritu sancto conceptus sum, quare mihi caelestis est indoles, caelestibusque moribus imbutus sum, caelestem ago vitam, & ideo ad caelum, ad quod ego vado vos non potestis venire, ut pote detenti, ac depressi vestris moribus, quibus estis educati, ac enutriti, à quibus exui, ac euelli valde praedifficile est. Theodoretus ad illud Ierem. 13. num. 23. Si mutare poterit Aethiops pellem suam, aut pardus varietates

Theodoret. cerni. 13.

suas, & vos poteritis benefacere, cum didiceritis malum. ibi Theodoretus. Verus, ait, profecto sermo consuetudinem esse alteram naturam, omnia enim, quae longa consuetudine comparavit animus paria censentur cum naturalibus.

Vitia adolescentia diffi- diliter con- titur.

Cum fugetet Iacob de domo soceri sui Laban. Rachel furata est idola patris sui. Genes. 31. num. 19. Valdè mirum est, quod de domo opulenta patris sui Laban, nil aliud furto abstulit Rachel, nisi illius idola; cur non potius aliquam pretiosam suppellectilem ex auro, vel argento, sed tantum tam sancta viri sui ad idola extendit mulier manus, Rachel sub potestate patris sui Laban in cultu idolorum enutrita est; quamvis ergo data esset in nuptijs Iacob, & cum ipso versaretur maxime instructa in fide, ac religione veri Dei, tamen cum appetit aliquid de domo patris sui, nil aliud vult secum habere sua antiqua inclinatione impellente, nisi idola quae secum deferret, & asportat. D. Chrysofomus homil. 57. in Genes. Non sine causa, ait, dictum est, nobiscum propositum furatum esse Rachel idola patris sui, sed ut sciamus mulieres illas adhuc paternam habentes consuetudinem; idolorum cultui addictas fuisse, animadvertentes enim, quantum in hoc studium impenderint, cum nihil aliud patri auferri voluerint, nisi idola eius.

67. Genes. 31.

Semper qui- libet incli- natur ad mo- res iuuentu- ris.

Chrysof.

De impio ait Sophat vnus ex amicis Iob. Ossa eius implebuntur vitis adolescentia eius, & cum eo in puluere dormient, Iob 20. num. 11. Multa sunt expendenda. Non ait, quod caro, sed ossa eius carnis portio utpote fluxibilis facilliter dimittitur; at verò ossa obdurefcunt, & diutius durant: sic vitia adolescentiae non facillè dimittuntur, sed semper magis quotidie obdurefcunt, ac robustius perseverant. Vatablus praefata verba legit. Adolescentiae vitia tenacissime illi inhaerent, eumque comitantur ad sepulchri puluerem. Perpende verba, ad sepulchri puluerem, tantum ab est, quod adueniente senectute vitia frigelcant, quod tunc vehementi incendio in eo ardescant, ut etiam ad sepulchrum comitentur, ut in ipso puluere vitiorum femina vigeant, tantus est vigor vitij adolescentiae, ut in ipsa senectute iuuenescat. Accipe S. Odonem Abbatem Cluniacens. lib. 15. in Iob Libidinem in eo, ait, adulantium blanda simenta multiplicanc, robustiorem reddunt, & quasi in ossa conuertunt. Hoc enim, quod male cepit, quae quotidie per consuetudinem roborat: quae nimirum ossa cum eo in puluere dormient, quia eo usque in illo iniqua consuetudines perdurant, quo hunc ad mortis puluerem pertrahant.

68. Iob. 20.

Vatabl. Vitis iuuen- tatis inimicè in haerent etiam impo- tuere.

Odo.

Ioan. 8. n. 25. Dicebant ergo ei: tu quis es? Dixit eis IESVS, principium, qui & loquor vobis.

Num. 26. Multa habeo de vobis loqui, & iudicare: sed qui me misit, verax est: & ego quae audiui ab eo haec loquor in mundo.

Num. 27. Et non cognouerunt, quia Patrem eius, dicebat Deum.

VERSIONES.

- Hebraic. n. 25. In principio, vel à principio sum, qui vobis loquor..
Graecus. Principium (in accusati- uo) quod vobis loquor.
Vatabl. Euthy. In primis, quod ex loquor- mus, Theoph. vobis.
Syriacus. Etiam id, quod cepi loqui vobis.
D. Ambros. l. 6.
Hexamer. c. 2. Initium quod & loquor vo- bis.
Euthym. n. 26. Multa possum de vobis lo- qui.
Graecus n. 27. Quod Patrem suum eis dicebat.

EXPOSITIO VII.

69.

Inimici nun- quam sua magnalia percipiunt.

Theophyl. Hugo. D Thom.

Rupert.

Ossa.

70.

August. Beda. Tolet. Chrysof. Euthym. Leontius. Hugo. Bonau.

DICEBANT ergo ei. Dixerat eis Christus, nisi credideritis, quod ego sum, absolute, & vt ait D. Augustinus. Non addidisti, quis es. Non dixit ego sum: sapè enim eis explicauerat, quifiam esset, nempe Dei filius à Deo Patre missus, ac mundi lux, sed inimici nunquam tua magnalia percipiunt, & quamvis sapè audiant, non acquiescunt. Theophylact. Post tantum tempus, post tantorum miraculorum ostensionem interrogat eum. Tu quis es? Ita fuerunt insipientes, & irrisores, quarebant non non vt crederent, sed vt carperent, & irri- derent. Tu quis es? De nomine, & persona quaerant, vt ait Hugo; Christus autem, vt notat D. Thom. eos inducit ad sublimitatis suae naturae cognitionem. Maiestas enim naturae illa omnia apertè exprimit, & declarat. Dixit eis Iesus. Vna, eademque responsione, vt inquit Rupert. designat, & manifestat suam naturam diuinam, & huma- nam. Diuinam cum ait. Principium. Subintellige, verbum, sum; quod fuerat in quaestione posi- tum, ex quo controuersia est exorta; id est ego secundum naturam diuinam sum primum princi- pium vniuersorum, tanquam Creator, & omnipotens, qui cum Patre, & Spiritu sancto, sum vnum principium, vnus creator, vnusque finis omnium rerum. Suam significat humanitatem eum ait. Qui loquor vobis. Glossa, factus homo pro- pter vos vt possitis me intelligere. Dei vocem homo immediatè ferre non poterat.

Multa habeo de vobis loqui, & iudicare. D. Aug- ustin. Beda, Toletus hoc referunt ad futurum diem iudicij, ac si Christus dixisset, quamvis modo dissimulem peccata vestra, tamen in ex- tremo die iudicij manifestabo, iudicabo, ac con- demnabo, quia tempus dissimulandi, & est tem- pus puniendi. D. Chrysofom. Theophylactus, Euthym. Leont. Hugo, D. Bouauent. ad occasio- nem praesentem, in qua Christus loquebatur, haec ordinant. Quod sic explico. Dixerat Christus Dominus. Ego sum principium, qui loquor vobis; scilicet quod sum Lux mundi, quod sum, qui sum; scilicet Deus, & principium vniuersorum; & subiicit: de vobis multa habeo loqui, & iudicare.

Loqui, id est reprehendere, & arguere vt Chry- sofom. Euthym. & Theophyl. interpretantur; & iudicare, id est punire, ac condemnare. D. Cy- rillus in catena Graeca. Non vnum tantum, ait, sed multa accusabo, & in nulla re mentiar, sicut vos: possum condemnare tanquam incredulos, & infideles, tanquam arrogantes, tanquam contumeliosos, tan- quam Deo repugnantes, &c.

Cytil.

71. August. Maldonac.

Rupert.

Chrysof. Theophyl. Euthym. D Thom. Bonauent. Tolet.

Sed qui misit me verax est. Satis difficilè, quo- modo haec cum antecedentibus cohæreat? D. Au- gustin. ad diem iudicij refert; Maldonatus ad praesentia. Ac si dicat Christus, multa possum de vobis, verè dicere, ac iudicare, quod si fecero, vt faciam in die iudicij; nemo poterit meum iudicium reprehendere, quia qui me misit, verax est, & ego quae ab eo audiui, loquor. Rupertus, ad prin- cipium refert; si vos admirantini, quod ego me dixerim omnium principium, scitote hoc verum esse, quia qui me misit verax est. Tertiò. D. Chry- sofom. Theophylact. Euthym. D. Thomas, D. Bou- auent. Toletus; inquam quod Christus reddit causam, cur eos modò non iudicet, ac puniat, quia Pater meus verus est in promissis suis, promissit autem hunc meum primum aduentum, non ad iudicandum, sed ad saluandum mundum, & ita veraciter adimplet, iubéque me, vt id faciam, & ideo solum de salute vestra loquor, & ago, iudicium verò refero in futurum saeculum. Plenissi- mè dicam. Dixerat Christus: Multa habeo de vobis loqui, & iudicare. Hoc est arguere, & con- demnare, & hoc ait Christus ad consensionem vestrae incredulitatis, quae meam doctrinam irri- deret, dicam quod verissime facio, quia nihil aliud dico, & facio, nisi, quae audiui ab eo. D. Au- gustin. ait: Ideo verus in iudicio ego; quia filius veritatis sum. Et ait: audiui ab eo. Interlineal. Idem est audire ab eo, ac esse ab eo. Et ait in praer- terito: Audiui. Rupertus, Toletus inquam, vt in- sinuet se audisse, antequam in mundum ve- niret Non ait, vidi, sed audiui, vt se accommo- det communi modo loquendi, cognitio enim, ac sciencia rerum, quae ab aliquo nobis communi- catur, dicitur ab eo audiri. Appollinaris in Ca- tena graeca; audiui autem humano more mentio- nem facit. Deinde dicitur: Mundo, quia quae in Iudaea praedicabat, nota fieri disponebat per suos Apostolos in toto mundo.

August.

Interlin.

Rupert. Tolet.

Communè modo loqui- di accommo- dandum. Appollin.

72.

Et non cognouerunt. Verba sunt Euangelistae ex- plicantis subsecutum effectum ex verbis Christi. Quia. More Graeco; id est quod Patrem eius, scilicet suum. Dicebat Deum: Graecus, & Syriacus. & Chrysofom. Theophylact. Euthym. & etiam D. Augustin. & Beda legunt, quod Patrem suum, eis dicebat. Intelligunt scilicet Deum, quod no- stra vulgata clarius expressit. Dicebat Deum. Quod autem Iudaei non intelligerent, ex duplici capite prouenit; primò, vt ait Rupertus ex eorum ma- litià, ac nequitia, ob quam eius dicta aduercere nolebant, nam iam eis apertè dixerat Patrem suum esse Deum. Vnde ipsi dixerunt. Ioan. 5. n. 18. Propterea ergo magis querebant eum Iudaei interfice- re, quia non solum soluebat sabbatum, sed & Pa- trem suum dicebat Deum, aequalem se faciens Deo. Si ergo dicta Christi obseruassent, clarè cognosce- rent, quod Patrem suum dicebat Deum. Secun- dò, Christus subobscure, ac rectè est locutus, ne vehementer ira, & odium Iudaeorum contra ipsum commoueretur; si enim clarè dixisset se esse Dei filium, eum tanquam blasphemum lapi- dascent, & magna prudentia est inimicorum

Chrysof. Theophyl. Euthym. August. Beda.

Rupert.

Ioan. 5.

Furore inimi- corum decli- nandus.

EUPROGEN